

CAPUT V.

De Requisitis ad Præscriptionem.

SUMMARI A.

I. & seqq. Contra nostram opinionem, quod in debito, indefinitè contracto, cum scientia juris alieni præscriptio currat, aliquæ rationes proponuntur. 6. & seqq. Evolvantur. 13. & seqq. Contra alteram sententiam, quæ docuimus, dubium speculativum non impedire præscriptionem, rursus aliqua objectiones adducuntur. 16. & seqq. Tolluntur à medio. 21. Error in factu proprio obstat præscriptioni ordinaria. 22. & seqq. Quin & error facti alieni, conjunctus cum errore Juris. 24. & seqq. Exponitur l. 3. ff. pro Donato. 26. & seqq. Firmatur nostra assertio, quod præscriptio privativa non requirat possessionem, contra dissentientes. 36. Potest tamen aliquid admitti loco tituli. 37. & seqq.

Res Ecclesia Romana mobiles non præscribuntur triennio de Jure Canonico. 39. An etiam de Jure Civili? Remissivè. 40. Etiam res mobiles Ecclesiarum inferiorum non admittunt præscriptionem triennii. 41. & seqq. Formantur oppositiones. 43. & seqq. Reformantur. 47. & seqq. Explicatur cap. 1. h. t. & concordatur cum cap. 15. XVI. q. 4. 50. An eodem tempore contra Fiscum Ecclesiasticum & Secularem præscribatur? 51. & seqq. Explanatur textus in cap. ult. h. t. in 6. 56. & seqq. Multifaria argumenta adversus præscriptionem collectarum coarcentur. 69. & seqq. Ad omnia & singula distinctè respondetur.

QUÆSTIO I.

An scientia juris alieni inducat malam fidem in debito, indefinitè contracto, si nunquam fuerit exactum?

I. Opinioni neganti, à nobis in hoc cap. à numero. 40. propugnata, cui etiam cum Clariss. DD. Franz ad tit. Inst. de Usucap. n. 91. & seqq. accessit Clariss. P. Pichler ad h. t. n. 32. inter alios novissimè se opposuit Clariss. P. Söll in tract. de Præscript. p. 2. cap. 2. à num. 268. ductus sequentibus motivis. I. quia contractu v. g. emptionis inito, & merce ab emptore accepta, statim ex justitia commutativa oritur obligatio, & de se quidem absoluta & naturalis solvendi, sive pretium venditori tribuendi: hæc autem obligatio pro foro conscientia non tollitur, etsi nec dies interpellat, nec debitum fuerit exactum, quia dicta obligatio est certa ac indubitata: adeoque pariter deobligatio deberet esse certa, vel saltem probabilior, quàm obligatio; quæ tamen certitudo, stante contraria & communiori sententia, haberi non potest. II. Hæc deobligatio nec evincitur ex verbis Legum, utpote quæ solummodò forum externum, in quo creditor, transactò legitimo tempore, non amplius auditur, respiciunt, sicut accidit in pacto nudo; nec ex mente & fine, dum creditorum diligentia sufficienter acuitur, litesque minuuntur, si in foro fori post lapsum certi temporis denegetur actio. III. Evitatur correctio Juris Naturalis, obligantis debitorem ad solvendum, quod debet, in conscientia. IV. Est communis hominum timoratorum persuasio, se esse obligatos ad debita contracta expungenda, etsi non exigantur: indeque ejusmodi debita nequeunt dici conditionata; neque etiam à debitore sciente contra illa præscribitur: quippe cum, si malam fidem declinare velit, debeat habere animum solvendi, & non possidendi rem debitam ut suam.

Hæc tamen & alia motiva nullatenus commovent, ut à præconcepta opinione, quæ Præscriptionem in debitis indefinitè contractis admittit, in theoria recedam. Nam I. fundatur in malo supposito, quasi nimirum obligatio solvendi pretium in contractu emptionis-venditionis censenda sit indefinita: quamprimùm enim emptor accepit mercem, illicò obstringitur ad solvendum pretium, etsi non fuerit interpellatus à venditore, uti notavimus in hoc cap. 5. num. 76. siquidem ipsum Jus locò venditoris interpellat, quatenus emptorem in mora constituit, edque titulo ad prestandas usuras adigit, nisi dilationem solutionis acceperit l. Julianus 13. §. 20. ff. de Act. empti vend. l. evictis 18. §. un. ff. de Usur. l. usuras 2. Cod. eod.

Ad II. Resp. de Jure Civili tum ex verbis tum ex mente Legum certum esse, quod Præscriptio in actionibus personalibus post 30. annos absolute procedat, sive debitor sciverit, se esse debitorem, sive non: cumque de Jure Canonico æquè certum sit, Præscriptionem qualemcunque procedere, si modò præscribens non fuerit in mala fide; ac insuper à nobis solide probatum sit, debitorem in debito, indefinitè contractò, & nunquam à creditore per interpellationem exactò, non esse in mala fide, cum peccato conjuncta: restè inferri, quòd etiam de Jure Canonico ejusmodi debitor præscribat.

Ad III. Resp. controversiam hic non agitari de Jure Naturali; quamvis & hoc in nostris principiis non tam obstat quàm faveat Præscriptioni; sed de Jure Positivo, juxta cujus dictamina toties Præscriptionem admittimus, quoties non concurrat mala fides, cum peccato conjuncta. Et quia in nostra hypo-

hypothesi ejus generis mala fides exulat, Jus Naturale per Positivum non corrigitur, sed potius unum cum altero conciliatur.

10. Ad IV. Resp. ad rem præsentem, ubi præcipuè in theoria disputamus, parum facere, quid aliqui homines timorati, Jurium imperiti, sentiant: sufficit enim, quòd juxta l. debitorum 10. Cod. de Pignor. & communem Theologorum ac Jurisperitorum sensum debitor non teneatur in actu secundo solvere, nisi à die vel homine interpellatur. Laymann Theol. Moral. lib. 3. tr. 2. cap. 10. sub numer. 1. Magnif. P. König ad tit. de Solut. numer. 27. Clariss. P. Schmalzgrueber ibid. n. 7. Neque tamen exinde consequitur, tale debitum esse conditionatum, utpote cujus exactio creditori semper est libera & arbitraria;

nisi dicere allubescat, esse conditionatum in actu secundo ex parte debitoris, quatenus, ut dictum, ante exactioem in actu secundo non tenetur sponte solutionem offerre; sicque potest habere inculpatum solvendi animum, si creditor exegerit. Quòd

verò debeat habere animum possidendi rem debitam ut suam; in terminis Juris, ubi de jure ad rem & actione personali agitur, salvari nequit: vel enim est debitor generis; vel speciei: si prius; utique omne id, quod habet in suo patrimonio, verè possidet, sicque animum habet, possidendi rem propriam ut suam. Si posterius; adhuc rei debita est dominus, manetque talis cum animo eandem possidendi ut suam, usquedum, facta interpellatione, creditori tradatur.

QUÆSTIO II.

An dubium constituat malam fidem?

13. Dixi in hoc cap. num. 80. & 85. dubium speculativum non constituit malam fidem, non tantum si superveniat Præscriptioni, jam cæptæ, sed etiam si antecedit. Video tamen, posteriorem assertionem non omnibus arridere, & contra illam opponi I. quòd utroque jure ad initium Præscriptionis requiratur bona fides, qualis non est, si quis credit, venditorem non esse dominum. II.

quòd, ubi possessionem rei alienæ licitè capere desidero, debeam probabiliter judicare, esse meam; cujusmodi judicium nequit consistere cum dubio speculativo, quod ex natura sua suspensionem judicii importat. III. quòd dubitans speculativè, & nihilominus rem alienam sibi arrogans, peccet, utpote cujus conditio ante omnem possessionem non est melior, quàm alterius; adeoque præscribere non possit.

16. Sed ista parum aut nihil attendi merentur. Nam quoad I. nunquam concessi, aut concedo, quòd dubitans speculativè credat, venditorem v. g. rei possidendæ non esse dominum; imò potius asserui contrarium, quòd possit opinari, & prudenter credere, venditorem justè ac cum bona fide rem à se emptam aut emendam possedisse. Quoad II. patet declaratio ex responsione mox data.

Et licet dubium etiam speculativum suapte naturam suspendat assensum; attamen non impedit, quò minus dubitans se practicè possit resolvere, & credere, rem, de cujus possessione in thesi dubitatur, in hypothesi sibi possidere licere. Quoad III. à vero pro-

cul ablutit, quòd dubitans speculativè, & nihilominus rem dubitativè alienam apprehendens, peccet, si ex principio alio, & jam explicato, se practicè resolvat, rem illam non esse alienam; veniente quoque in subsidium possessione, non quam dubitans primùm acquirat, sed quam auctor illius v. g. venditor antea bonâ fide habuisse præsumitur.

Dixi præterea in eod. cap. num. 89. & 100. 19. dubium practicum, tam antecedens quàm subsequens, obstat Præscriptioni. An verò, qui practicè non dubitat, sed tamen adeò iniquus est, ut vellet continuare possessionem, etiam si injustam esse sciret, adhuc præscribere valeat? Ex eo dubitari possit, quòd ejusmodi possessor nihil agat, justitiæ aut juri tertii contrarium. Quia verò saltem in affectu peccat, & quidem peccatò injustitiæ, quatenus habet animum, lædendi jus tertii; æquè à Præscriptionis commodo repellendus erit, quàm ille, qui dubium practicum non deponit.

QUÆSTIO III.

An error facti Præscriptionem retardet?

21. Negavi in hoc cap. 5. num. 118. ita tamen, ut, si error occurrat in factu proprio, Præscriptio ordinaria locum habere vix queat: eò quòd talis error suffocet titulum, sine quo Præscriptio ordinaria & positiva, saltem quoad res corporales, perfici non potest, uti conclusi infra in d. cap. num. 229.

22. Quid autem sentiendum de errore facti alieni, cui simul admiscetur error Juris? In exemplo. Emit aliquis absque præcitu &

consensu tutoris à pupillo rem alienam, quam illius propriam existimavit, unaque credidit, pupillum res suas autoritate propria distrahere posse: poteritne præscribere?

Resp. eum tempore ordinariò præscribere non posse. Ita cum aliis Clariss. D. Franz ad tit. Inst. de Usucap. num. 69. Ratio est: quia, dum Jura absolute statuunt, quòd error Juris Præscriptionem ordinariam submoveat, id etiam in casu, quò error facti concurrat,

voluisse censetur: vix enim error Juris hac in materia separari potest ab omni errore facti, sicut patet ex dato exemplo; consequenter, ut illa Jura possint cum effectu applicari, error facti præscribentem excusare nequit *arg. l. nunquam 31. in pr. ff. h. t.*

24 Neque obstat *l. si vir 3. ff. pro Donato*, ubi dicitur, uxorem posse præscribere rem alienam, à marito sibi donatam; sicque innuvidetur, errorem Juris, donationes inter conjuges prohibentis, non obstat Præscriptio-

QUÆSTIO IV.

Utrum ad Præscriptionem privativam requiratur aliqua possessio?

26 Nullam possessionem admittimus in *præf. cap. à num. 394.* Quæ tamen ibidem dicta & probata sunt, non usque aded placere videntur Viris Clariss. P. Pichler *in t. num. 51.* & P. Söll de *Præscript. cap. 1. num. 205.* Quamvis enim non audeant adstruere veram & positivam possessionem; conantur tamen exprimere aliquam umbram possessionis, quam appellant negativam, quæ nempe habetur per negationem actuum, quibus debitum v. g. posset exigere creditor, non tamen obligat ad eum ferè, uti existimant, modum, quò in Præscriptione positiva rerum & jurium incorporalium non potest dari vera possessio &

27 strictè talis, sed tantum quasi possessio. At certè claudicat hæc paritas: nam Jura nostra, Canonica & Civilia in *cap. consultationibus 19. de Jure Patron. cap. ult. de Restit. spoliat. in 6. l. regulariter 9. ff. de Hæredit. pet. l. ult. §. ult. in f. ff. si pars hæred. pet. l. de aqua 2. ff. Commun. prad. l. sicut autem 8. §. 3. ff. si servit. vind. aperte agnoscunt veram & positivam possessionem rerum & jurium incorporalium; eamque quasi possessionem solummodo vocant comparative ad res corporales, quæ, sicut incurunt in sensus, ita etiam sensibili & physica apprehensione tangi & occupari possunt; aliter atque incorporales, quæ non nisi median-
tibus actibus, qui ex radice jurium incorporalium proveniunt, sub sensum cadunt.*

28 Econtrà possessio negativa utriusque Juri prorsus incognita, & in ordine ad Præscriptionem privativam aut propter defectum objecti impossibilis, aut, cum effectum nullum producat, planè inutilis & supervacanea est: quia nimirum Jus utrumque singulis actionibus statuit certum terminum, intra quem si motæ non fuerint, absque ulla alia debitoris possessione vel cooperatione, suapte indole pereunt.

29 Neque regeas: negativam possessionem salvari per hoc, quòd debitor incipiat possidere suam libertatem ab eo tempore, quòd creditor jus suum aut actionem movere vel

30 urgere desinit. Enimverò neque hæc libertatis possessio in Legibus, Canonicis, aut Civilibus, fundata, aut aliunde probata reperitur: tum quia jus personale seu actio, quam habet creditor, intimè coheret ossibus per-

ni, si error facti, quòd uxor credidit, rem donatam esse mariti propriam, concurrat. Nam, ut *cit. text.* optimè explicat Brunne-
nus in *Comments.* adest quidem error Juris generalis, quando uxor existimat, donationem inter conjuges licere; non tamen adest error Juris specialis, quòd illas donationes non prohibet, ex quibus altera pars non fit pauperior, cujusmodi donatio est illa, quæ res aliena donatur. Quæ explicatio etiam probatur D. Franz *cit. l.*

sonæ, & remanet eousque intactum, donec, expletò legitimo tempore, ipsius Legis, Præscriptionem inducentis, autoritate extinguatur; sicque libertas debitoris hòc ipso, quòd obligatione personali usque ad ultimum instans Præscriptionis restricta maneat, non potest cadere sub possessionem negativam debitoris: tum quia, si debitor suam libertatem negativè dicatur possidere, quòd creditor jus suum non urgeat, illa possessio deberet statim incipere à tempore contractæ obligationis, si creditor in primo mox momento solutionem non peteret; cum tamen in terminis implicare videatur, ut debitor simul per contractum obligetur, & simul in possessione libertatis ab obligatione existat. Et sanè, cum debitor etiam postremà die, quæ Præscriptio completur, à creditore interpellatus teneatur solvere, nullum habebit commodum ex asserta libertatis possessione negativa, licèt creditor totò anteriori tempore siluerit.

Instabis: per Præscriptionem privativam acquiri liberationem à jure alterius, prout in nostra definitione exprimitur; adeoque dari possessionem negativam seu libertatis seu liberationis.

Resp. juxta nostram definitionem liberationem à jure alterius non acquiri mediante aliqua possessione, sed privilegio solius temporis, quando scilicèt creditor intra tempus, à Lege præstitutum, jus suum non exercuit, debitor autem interea nihil egit, quòd juri alterius erat contrarium. Acquirat itaque liberationem ab alterius jure non possit-

31 tivè, quasi aliquid in præscribentem transferatur; sed privativè, quatenus jus, in alio existens, solius temporis decursu, ex Legis dispositione, ipso factò evanescit; id quòd fieri potest absque eo, quòd præscribens ex suo aliquid conferat, aut antecederet suam liberationem negativè possidisse dicatur. Itaque in terminis ferè respondit & judicavit Rota Rom. in *recent. p. 4. decis. 547. num. 11. & seqq.*

Facilius cum DD. Authoribus dissidentibus me conformare possem, si in vicem tituli, quem in Præscriptione privativa haud requiri, conclusi in *cap. præf. num. 243.* patientia

tia creditoris, aut alterius, contra quem privativè præscribitur, jus suum non petentis aut exercentis, admitteretur: quemadmo-

dum ibidem in *num. 256.* in Præscriptione positiva servitutum realium eandem patientiam locò tituli considerari posse, indicatum est.

QUÆSTIO V.

Utrum res Ecclesiasticæ mobiles præscribantur trienniò?

37 Procedit hæc quæstio potius de rebus Ecclesiarum, Romanæ inferiorum, quam ipsius Ecclesiæ Romanæ. Quamquam enim aliqui, & inter hos P. Pichler ad *h. t. sub numero 61.* & P. Söll de *Præf. p. 2. cap. 4. n. 338.* rebus mobilibus, ad Ecclesiam Romanam immediatè spectantibus, nullum præ cæteris

38 privilegium tribuant; videtur tamen de Jure Canonico sat clarè decisus casus in textibus, pro sententia contraria à nobis relatis in *hoc cap. n. 609.* præsertim in *cap. ult. XVI. q. 4. & cap. ult. h. t. in 6.* ubi generaliter & expressè in rebus & bonis Ecclesiæ Romanæ, sinè distinctione mobilium & immobilium, sola Præscriptio centenaria conceditur; solumque in posteriori *cap.* excipiuntur bona hæreticorum, qui, dum viverent, Catholici putabantur: hæc enim, si ab eorum filiis, nepotibus, aut etiam extraneis spatiò 40. annorum fuerint bonà fide

39 possessa, præscripta fuisse dicuntur. Dico de *Jure Canonico* Utrum enim de Jure Civili res Ecclesiæ Romanæ mobiles centenariâ Præscriptione gaudeant, vel quadraginta annorum spatiò præscribantur? Longiori examine disquirat Clariss. D. Franz in *Jurisprud. element. ad tit. de Usucap. à num. 24.*

40 Igitur, ut ad res mobiles, quæ pertinent ad Ecclesias inferiores, deveniam, illas æquè ac immobiles, spectatò utroque Jure, quadragenariâ Præscriptione frui, dixi & probavi in *hoc cap. à num. 567.* consentiente mihi laudatò Clariss. D. Franz *num. 36. & seqq.*

41 Opponitur autem à dissentientibus, quibuscum sentiunt antea *cit. PP. Pichler & Söll, l. auth. quas actiones Cod. de SS. Eccles.* ubi, postquam Ecclesiis & locis piis concessum est privilegium, ut non 10. 20. ac 30. sed primum 40. annis contra ea præscribi possit, scilicèt in rebus immobilibus, subjungitur: *usucapione trienni, vel quadrienni, qua tantum in rebus mobilibus locum habet, suo robore durantibus;* quam dispositionem totidem verbis recepit & ap-

probavit Ecclesia in *cap. 16. in fin. XVI. q. 4. II. Jus Civile universim ad Præscriptionem rerum mobilium requirit tantum tres annos; Jus verò Canonicum non excipit Ecclesias. Ergo juxta cap. 1. de N. O. N. tenendum est, quòd SS. Canones velint sequi quoad hoc Jus Civile.*

Resp. ad I. primò, *cit. authenticam* non polere vi authenticà, utpote quæ suæ origini, scilicèt *Novella 131. cap. 6.* (hæc enim, non verò *Nov. 9.* uti malè supponunt Adversarii, ejus origo est) non correspondet, veluti *cit. l. ostensum est.* Secundò, eandem *Authenticam*, si diceretur authentica, ipsi Authoribus contrariis luculenter obflare: dum enim Præscriptionem trienni quoad loca Religiosa in suo robore confirmat, & immediatè excipit Ecclesiam Romanam, quòd illa sola gaudeat centum annorum spatiò vel privilegio, satis indicat, Ecclesiæ Romanæ centenariam Præscriptionem, ab istis Authoribus alioquin negatam, etiam quoad res mobiles competere: cum exceptio soleat & debeat esse de regula & sub regula. Tertio, prædictam *Authenticam*, nequaquam esse canonizatam per *cit. cap. jubemus 16. XVI. q. 4.* referatur enim, prout est posita in *Cod. tit. de Sacrosanct. Ecclesi. absque ulla approbatione; neque ponitur in ipso cap. sed reperitur primùm in annotationibus in fine.* Unde, quid roboris habeat, sciunt omnes Canonistæ, unanimiter scribentes, veras quoque & genuinas Constitutiones Juris Civilis, in Decretum Gratiani translatas, vim aliam non habere, præter illam, quam à suis Conditoribus Politicis acceperunt.

42

43

44

45

46

47

48

QUÆSTIO VI.

Utrum bona Ecclesiæ immobilia, & jura Ecclesiastica aliquando citius, quam 40. annorum intervallò, præscribantur?

47 Resp. casum exceptum & specialem extare in *cap. placuit 1. h. t. ex Concilio Africano,* seu potius Carthaginensi, uti exponit Gonzalez *ibid.* quando Episcopus aliquis Catholicus locum, in aliena Diocesi situm, ad fidem convertit: hunc enim, si per triennium pacificè possederit, præscribit, non obstante, quòd sciat, locum illum ad alium Episcopum spectare. Idque statutum noscitur partim ad

excitandam concordiam priorum Episcoporum, partim ad suscitandum fervorem conversionis ex parte aliorum.

Quia verò in *cap. placuit 15. XVI. q. 4.* ordinatur, ut, si unus Episcopus in officio suo hac in re fuerit negligens, ab aliis Episcopis vicinioribus admoneatur; & ubi similia monita insuper habuerit, post sex menses ille, qui negligentis vices supplevit, locum ne-

glectum acquirat: hinc dubium enascitur, quomodo uterque textus sit combinandus?

49 Inter diversas interpretationes Eminentiſſimus Card. Vincentius Petra in *Commentar. ad Constitutiones Apoſtol. tom. 2. pag. 431. n. 92.* illam amplectitur, quod, factâ monitione, lapsôque semestri, quilibet jus habeat, locum

QUÆSTIO VII.

Quò tempore contra Fiscum Ecclesiasticum præscribatur?

50 Tempus, quò contra Fiscum sæcularem præscribitur, indigitatum est in *hoc cap. num. 546. & seqq.* De tempore, quò contra Fiscum Ecclesiasticum præscribitur, putant quidem nonnulli, pari stylo discurrendum esse, prout videre est apud laudat. Vincen-

51 tium Petra *pag. 429. num. 84.* Verùm, si textus in *cap. ult. de Præscript. in 6.* accuratè expendatur, alia planè sententia erit adstruenda. In prima siquidem parte decidit Pontifex, quòd, si reus delinquens habeat bona ab ipsa Ecclesia v. g. in feudum aut emphyteusin, iisque ipso jure vel per sententiam privatus existat, contra Ecclesiam Romanam sola centenaria, & contra inferiorem quadragenaria Præscriptio, cum exclusione Fisci sæcularis, aut alterius cujuscunque, subintret, nullâ factâ distinctione, an sit vera confiscatio, nec ne.

52 In altera parte disponit de bonis hæreticorum, quæ juxta *cap. cum secundum 19. de Hæres. in 6.* verè confiscantur, dicitque, quòd, si in vivis non putarentur fuisse hæretici, bona ipsorum, à filiis, nepotibus, aut extraneis quibuscunque, 40. annorum spatio bonâ fide possessa, jure Præscriptionis apud ipsos maneat, licet ad Ecclesiam Romanam pervenire deberent; non obstante,

QUÆSTIO VIII.

An jus collectandi, seu collectas imponendi, quadraginta annis, sub saltè immemoriali tempore præscribi valeat?

56 Suppositi in *cap. 3. num. 531.* affirmativam non multum esse dubitabilem. Inveni autem contradicentem Clariss. P. Söll de *Præscript. p. 2. cap. 4. num. 541. & seqq.* qui in contrarium arguit I. Vel tributis indictionem exposcit necessitas aut utilitas Reipublicæ, vel non. Si primum; non opus est Præscriptione, sed potuerunt subditi aliunde ad collectas adstringi. Si secundum; obstat mala fides, dum nullò jure licitum est, ob commodum privatum subditis nova onera imponere.

57 re. II. talis Præscriptio directè pugnat contra finem Legislatorum, Præscriptionem concedentium, ex quo rebus & bonis civium per impositionem novorum onerum male-

58 consulitur. III. cessat in ea ratio immediata Legis, quæ est, ut acuatur industria hominum, & maxime ut bona non sint incerta, quæ manent in dominio subditorum, et si non exigantur collectæ, IV. magis hæc

neglectum occupandi, & ibidem Episcopale munus exerceadi; salvâ manente Episcopo negligenti facultate, intra triennium, postquam respuerit, locum eundem repetendi; transactò autem triennio, facultas repetendi cesset, ac titulo Præscriptionis locus ad occupantem pertineat.

quòd postea eorum antecessores detegantur hæretici fuisse. Adeoque supponitur, hæreticorum, qui tales extitisse sciebantur, bona, ad Fiscum Ecclesiasticum devolvenda, non præscribi aliter à possessoribus, quàm aliâ bona, Ecclesiæ jam incorporata; sicque, ubi ad Ecclesiæ Romanæ Fiscum essent transferenda, necessariam esse Præscriptionem centenariam. Ut proinde distinctio, aliàs recepta inter bona, Fisco jam incorporata, aut primùm incorporanda, seu delata, respectu Fisci Ecclesiastici non procedat; quamvis *Leges humana super hoc alia tempora statuere videantur*, veluti loquitur Pontifex in *cit. cap. in prima parte.* Passerinus in *comment. ad idem cap. ult. num. 12.*

59 Equidem Rota Romana apud Emerix juniorem *decis. 656. num. 1. & seqq. & decis. 822. à num. 1.* in hoc passu nullam differentiam statuere videtur inter Fiscum Ecclesiasticum & sæcularem; poterit tamen intelligi de casu, quò v. g. S. Pontifex non quâ talis, sed quâ Princeps sæcularis in suo territorio jura Fisci exercet: tunc enim eadem Præscriptionis tempora, quæ in aliis Laicorum Principum confiscationibus præfinita sunt, observanda erunt. Emientiss. Petra *cit. l. pag. 430. num. 88.*

Præscriptio obesset, quàm prodesset bono publico: cum faciliè per eandem sub variis ac quæſitis prætextibus subditi iniquè vexari possent.

60 V. jus & potestas imponendi tributa videtur potius restringenda, quàm extendenda.

61 VI. Si inferior dominus posset suis subditis indicere tributa, vel supremus dominus idem adhuc posset, vel non? Si prius; subditi possent à duobus obligari & gravari tributis, atque etiam ab illo, cum quo nunquam contraxerunt, & in quem nullam unquam potestatem contulerunt. Si posterius; non posset amplius Summus Princeps uti jure suo; sicque partem aliquam suæ potestatis amitteret, & subditi ab ejus supremo dominio subducerentur, licet maneat subditi.

62 VII. non potest facultas exigendi tributa acquiri privilegio: cum non possit supremus Princeps titulo proprietatis disponere de bonis subditorum. VIII. quia

63 jus

jus certum immunitatis stat pro subditis. vi cujus nullò casu collectis onerari possunt, nisi exigat bonum publicum, & Principis ærarium non sufficiat: sed jure certò nemo spoliandus est, nisi ob evidentem & verè,

64 convincentem rationem. IX. quia per sententiam adversantem non tantum, quantum per istam, inducitur periculum injusticiarum, rapinarum, furtorum, committendorum.

65 X. quia insuper est periculum licitum, an possessio, tempus legitimum, aut bona fides adfuerit; nec poterit præscribens, in causa sua propria esse Judex; subditi verò non audientur, aut, si audiantur, frequentiores erunt lites, dissidia, inimicitie inter dominum & subditos, magno utrinque damno, maximâque supremorum tribunali-

66 lium molestia. XI. quia Præscriptionis ejusmodi vis & autoritas neque probatur à Jure Naturali & Gentium, cui aliunde incognita supponitur; neque à Jure Civili vel Canonico: cum in *cap. super quibusdam 26. de V. S.* generaliter damnentur omnia tributa, inferiori, quàm Supremorum Principum potestate, indicta in *verb. ut nemo audeat tales exactiones statuere, aut statuta de novo tenere*; imò videtur requirere Concilium ad justitiam tributorum, ut constet autoritate

67 Supremi Principis ea imposita, si sint nova, vel quòd ex consuetudine immemoriali præsumantur, si sint antiqua: de præsumptione autem vel Præscriptione pro potestate imponendi illa nullum extat vestigium; neque ex eo, quòd per consuetudinem aut Præscriptionem comparatur potestas exigendi tributa, aliunde ab habente potestatem imposita, legitime infertur autoritas imponendi

68 nova. XII. quia non solum generalia, ac communia Jura in *tit. Cod. ne rusticani ad illum officium etc. item l. jubemus nullum. Cod. de SS. Eccles. & per tot. tit. Cod. nova vestigial.* sed etiam particularia Jura resistunt tali Præscriptioni, puta Hispanica, Lusitanica, Gallica, Germanica &c.

69 Verùm prolixior hæc arguendi ratio eò minus à communissima & receptissima sententia me abstrahit, quòd verosimilius singula ferè argumenta, si quid probarent, probarent nimium, ac universim Præscriptionem, nedum in rebus & juribus publicis seu regalibus, sed etiam in rebus & juribus privatis eliminarent. Ne tamen plus dicere, quàm demonstrare videar,

70 Resp. ad I. ibi confundi jus indicendi tributa cum justitia causæ, quæ, ut tributa ab habente potestatem licitè imponantur, requiritur. Poterit igitur jus indicendi tributa à quodam inferiori Principe, Nobili, aut Magnate per Præscriptionem acquiri, ita tamen, ut, nisi communis necessitas aut utilitas exposcat, illud in actum secundum redigere nequeat: quemadmodum præscribi potest jus jurisdictionis, & conjunctum cum eo jus imperandi, judicandi, multandi; absque eo, quòd illicita imperare, injustè judicari, &c.

P. Schmier Supplem. Jurispr. Canonico-Civili.

care, aut multam infontibus dictare liceat.

71 Ad II. Resp. finem Legislatorum, Præscriptionem introducentium, fuisse non bonum particulare unius aut alterius civis aut civitatis, sed generale omnium Populorum, Nationum, & Regionum, ut, si quod jus legitimo tempore sine contradictione aut inretpellatione bonâ fide fuerit exercitum, legitime acquisitum censeatur.

72 Ad III. Resp. rationem immediatam introductæ Legis æquè hic servari: acuitur enim industria subditorum, ut rebus suis invigilent, & quò minus novis oneribus graventur, intra limites modestiæ obſistant; redduntur quoque eatenus certa jura & bona, ut sciatur, cui, & in quantum collectis sint obnoxia.

73 Ad IV. Resp. cuilibet Præscriptioni id obſi posse, quòd illius prætextu tum subditi, tum æquales aut vicini possint iniquè vexari; imò & cuilibet alteri modo acquirendi idipsum opponi posse, quòd ansam præbeat, alios injustè circumveniendo, gravandi, decipiendi.

74 Ad V. Resp. non attentò, quòd obligationes omnes, quibus patrimonium nostrum diminuitur, potius restringendæ quàm extendendæ sint, eas nihilominus mediante Præscriptione induci aut multiplicari posse.

75 Ad VI. Resp. pro diversitate circumſtantiarum accidere posse, ut subditi à duobus obligentur ad solvenda tributa, & tantum ab uno. Nam, si currente Præscriptionis tempore duobus solverint tributa, hæc transactò, utrique solvere tenentur per dicta & conclusa in *cap. 4. num. 321. & cap. 5. n. 416.*

76 Contra quòd duplex gravamen, ex diversa causa originem trahens, tantò minus, completâ jam Præscriptione, conquiri possunt subditi, quòd facilius illud antecederet impedire, & à se remove potuissent, velut evenit in aliis oneribus, per Præscriptionem accrescentibus. Quòd si solus præscri-

77 bens privativè tributa acceperit, Dominus Territorialis, qui contradicere & resistere potuisset, suæ negligentie imputare debet, quòd, absolutò Præscriptionis cursu, à tributorum exactione deinceps excludatur per dicta in *cit. loc. & cap. auditis 15. cap. olim 18. de Præscript.*

78 Et si, contra quem præscribitur, fuerit Supremus Princeps, hoc ipsum sibi suisque officialibus adscribere necessum habebit, quòd jura sua vigilantius haud custodierint; salvâ interim subditorum obedientiâ & subjectione, quæ in cæteris integra persistere valet, etiam si tributa alteri præstentur, prout Imperii praxis demonstrat, vi cujus etiam aliqui à tributis sunt prorsus immunes, etsi subjectionem quoad Imperatorem & Imperium sanctè profiteantur.

79 Ad VII. Resp. ex *cap. super quibusdam 26. de Verb. signif.* admodum clarè inferri, jus indicendi tributa à Supremis Principibus privilegio aliis concedi posse; patetque evidenter.

G

denter de Statibus Imperii Romano-Germanici, è quibus multi similia privilegia ab Imperatoribus impetrarunt; de quo alibi.

80 Neque tunc Supremus Princeps titulo proprietatis disponit de bonis subditorum, sed titulo domini Jurisdictionis, cujus fructus, proventus, & emolumenta aliis bene meritis ex speciali favore concedere non prohibetur.

81 Ad VIII. Resp. jus certum immunitatis, quod favet subditis, æquè in hac quàm alia materia, superveniente Præscriptione adimi; posseque aut ex conniventia Supremi Principis collectas, illi cæteroquin in casu necessitatis aut utilitatis publicæ debitas, ab inferiori Principe præscribi; aut, si bona fides & cætera concurrant, collectas quoque particulares aut provinciales, suffragante Præscriptione, acquiri.

82 Ad IX. Resp. per sententiam adversantem majus induci periculum, si non rapinarum, saltem rebellionum, seditionum, aliarumve injustiarum, si subditi collectas, ab antiquissimo tempore semper præstari solitas, ea solum de causa impostero detrahere valeant, quòd jure Præscriptionis jus collectandi introduci nequeat.

83 Ad X. Resp. illud motivum contra quamlibet Præscriptionem tam quoad collectas, quàm servitutes, operas, & quælibet onera vel obligationes militare; indeque, si pondus aliquod haberet, omnem Præscriptionem inter Superiores & inferiores omninò fore abolendam: quæ deductio, cum planè nocetur absona, & Juribus praxique adversa, antecedens, unde derivatur, non potest esse majoris considerationis.

CAPUT VI.

De Effectu Præscriptionis.

CAPUT VII.

De Contrariis Præscriptionis.

DE utroque hoc Cap. satis dictum fuit in Tractatu; indeque non reputo necessarium, ut plura addantur.



SUPPLEMENTUM

AD

TRACTATUM III.

DE

MODIS ACQUIRENDI, ET AMITTENDI PRÆLA- TURAS ECCLESIASTICAS.

CAPUT I.

De Electione.

SUMMARI A.

1. & 2. Quò sensu electionis forma in assumptione Coadjutoris sit adhibenda? 3. Capitula Germania habent jus eligendi. 4. & seq. Etiam si post Concordata erigatur nova Cathedralis. 6. In casu unionis spectat electio ad Capitulum Ecclesie, cui facta est unio. 7. In casu unionis sine suppressione pertinet ad Capitulum utriusque Ecclesie. 8. Ubi unus Episcopus præst pluribus Episcopatibus, cuilibet Ecclesie manet suum jus. 9. & seqq. Discutitur, sine danda electio, quando aliquis potest nominare quatuor, ex quibus unum Capitulum eligere tenetur? 14. An extraneus, in quasi-possessione juris eligendi constitutus, possit eligere? 15. & seqq. Tenetur & probatur affirmativa. 20. & seq. An Capitulum possit admittere procuratorem absentis, legitimè non impediti? 22. & seqq. Electus non debet esse necessario de gremio. 25. & seq. Refusatur doctrina contraria. 27. & seq. Ponitur limitatio. 29. & seqq. Nonnulla motiva pro licita electione digni pra digniore. 33. & seqq. Eliduntur. 38. & seqq. Elucidatur S. Thomas. 43. Insinuat exceptione. 44. & seqq. A quonam absentes sint censendi? 47. & seqq. A quonam terminus, electioni præfixus, restringi possit? 53. & seqq. An præcisè electio in statuto termino institui debeat? 56. & seqq. An & qualiter electio per inspirationem sit verus modus eligendi? 59. & seqq. Qualis in ea consensus requiratur? 64. An possit cadere in extraneum? 65. & seqq. Disquiritur, an exuberantia schedarum vitiet electionem? 72. Refertur mens Fagna-

ni. 73. & seqq. Ofsenditur, quòd schedula alba habeatur pro nullis. 76. & seqq. Rejicitur electio per accessum & acclamationem. 79. Post primum scrutinium non-canonicum devenitur ad aliud. 80. & seqq. Vel ad compromissum. 85. & seq. Resp. ad rationem contrariam. 87. & seqq. Docetur, quomodo liceat variare votum ante publicatum Scrutinium. 92. & seq. Explicatur, quomodo vota debeant esse secreta? 94. Quot modis vota propalantur? 95. & seqq. An propalatio intra electionem vitiet? 100. & seqq. Utrum ante electionem? 104. & seqq. An postea? 107. An possit fieri sine peccato? 108. & seqq. Si prima die non habeatur electio canonica, potest in secundum differri. 111. Anegata dilatio ne datur appellatio. 112. & seq. An interposita appellatione valeat electio? 114. & seq. Schema instrumenti electionis per Scrutinium. 116. & seqq. Electus potest administrare, quando obtinuit beneplacitum Apostolicum. 119. & seqq. Potest etiam Ordines conferre, vel hanc facultatem delegare. 122. & seqq. An & quomodo confirmatio suppleat defectus electionis? 127. & seqq. Quas penas incurrat Episcopus, consecrationem non recipiens? 134. & seq. Quid si ante consecrationem vitietur corpore? 136. & seqq. A quo Pallium conferatur? 140. & seqq. Notantur aliqua de usu Pallii. 149. & seqq. Specialia de electione Pontificia. 160. & seqq. Generalia & singularia de electione Regularium. 173. & seq. Nova constitutio de benedictione Abbatum.